DE CONSERVATIONE MATRUM ET NEONATORUM EORUNDEM

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-POLITICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI D.

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

SPECTABILIS

DOMINI DECANI

NEC NON

CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE

LAUREA RITE ET LEGITIME

OBTINENDA

IN ALMA AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM

UNIVERSITATE HUNGARICA

PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT

JOSEPHUS FUX

HUNGARUS QUINQUE-ECCLESIENSIS.

Theses adnexae defendentur in Palatio Universitatis Majoris

BUDAE,

typis Joannis Gyurián et Martini Bagó.

1844.

Meine Meinung war stets, ein wackerer Mann, der sich verheirathet und eine hübsche Nachkommenschaft auferzieht, leiste der Gesellschaft größere Dienste, als einer, der ledig bleibt, und blos von der Bevölkerung plaudert.

Goldsmith.

Seinem

theuren Cousin

Moritz Fuchs

und

dessen vielgeliebten Gattin

Verona

widmet diese Blätter

der Verfasser.

De conservatione matrum et neonatorum eorundem.

§. 1. Non obtinetur sana et robusta populi frequentia, nisi et *gravidarum et foetus in utero* contenti cura habeatur. Jam antiquissimi populi, ut Seiler de privilegiis Gravidarum habet, gravidis peculiaria iura tribuebant, curae Reipublicae autem semet non tantum ad *legitimas*, sed etiam ad *spurias* proles extendere debet. Debet autem Respublica curare, ut omnes, gravidis aut foetui *nocentes causae* amoveantur. Causae tales sunt *morales*, *chemicae et dynamico chemicae.* Poni autem in effectum possunt hae causae triplici modo *a)* per matrem, *b)* per alios homines malevolos, *c)* per casus fortuitos. Ne autem hae causae efficaces fieri possint, Respublica vel informationem publicam (instituta eorum) vel leges positivas, vel per peculiaria instituta earum aversionem procurare debet.

§. 2. *Sunt autem informandae gravidae a)* circa vestitum, qui muniat corpus, non autem comprimat aut opprimat *b)* circa victum qui sit temperatus, haud nimium excitet, *c)* adeoque nec quantitate nec qualitate peccet, *d)* circa animi pathemata, imprimis iram, Zelotypiam et timorem, *e)* circa exhilarationem durante graviditate.

§. 3. *Lege tenus autem gravidarum, a)* ut gravidam nemo vexare, aut laedere audeat, eam potius iuvare teneatur. *b)* Jurisdictiones mansvete cum gravidis agant, nullis minis terreant, minime vero poenis adficiant, *c)* Parentes, tutores, cognati et heri illegitime gravidas obiurgare aut male tractare non praesumant. *d)* Ipse vir maritus respon-

sabilis reddatur si circa gravidam uxorem in agendo excesserit, *e)* maritus, uxorem circa finem graviditatis solitariam nunquam relinquat; ab oneribus gravibus sublevet, ubi se uxor male senserit, illico auxilium prospiciat, *f)* dominium vel herus ultimo graviditatis tempore praegnantem ad graves labores adstringere non praesumat, imo ipsum virum pro tempore a coactis et non solutis laboribus in usum dominii suscipiendis (Robot) liberet. *g)* Chirurgis, obstetricibus ob praeiuditia urgentia interdictum est svadere vel imperare purgantia, venae sectiones, praeservantia aut balnea, Pharmacopaei autem puniantur, si pharmaca talia absque praescriptione medici dispensaverint. *h)* Omnia illa, quae per horridum aspectum, in gravidas noxium influxum exercere possent, semoveantur. *i)* Interdictum est, et puniatur, gravidam aliquo modo terrefacere.

§. 4, *Circa parturientes vero ocupet Respublica,* *a)* ut sufficientes, bene institutae et dextrae adsint personae medicinales, quae parturientibus auxilium ferent, *b)* ut parcatur pudicitiae mulierum, in quolibet loco obstetrices excultae habeantur, quae et subliliores manus et modum meliorem cum feminis et prolibus agendi habent, maiorem item patientiam. *c*) Ad minimum in omni districtu adsit obstetricator, versatus in arte, qui melius instrumenta tractare, suo tempore audax esse scit, neque tantis obnoxius est praeiudiciis, sicut obstetrices, *d)* obstetrices instrumenta minora procurare teneutur, instrumenta maiora et adparatum integrum ex aerario publico pro communi usu procurari debent, *e)* in omni pago adsit obtitrix salarisata, *f)* hanc sub poena maritus, cognati aut vicini advocare teneantur instante partu. *g)* In omni circulo adsit obstetricator magister, quem advocare in casibus gravioribus obstetrix sub poena tenetur. *h*) Vetulis, aliisque personis illegitimis, cum neglectu obstetricis, parturientibus adsistere, nisi extrema ueserit necessitss, sub poena interdictum sit, quia obstetrix suo fraudatur Zostro, parturiens et neonata proles noxam

experiri potest, et in casibus criminalibus nulla habetur clarificatio. *i)* Praeiudicia et malae consuetudines circa parturientes prohibeantur ut sunt: situs vario modo et saepe mutatus, potiones exhibitae, pressio abdominis, nixus intentus ante debitum tempus, inunctiones abdominis, ligaturae circa collum. *k)* Si parturiens obstinax consiliis obstetricis, obstetricatoris aut plane medici non cederet, parochus est advocandus. *l)* In illis casibus, ubi iam tempore graviditatis evictum fuerat, partum normali modo et via fieri non posse, Physicus advocari debet, qui cum obstetricatore consilium ineat circa avertenda pericula, *m)* citra matris parturientis assensum, operatio forsan letalis suscipienda a medicis non est, *n)* sed si parturiens sub ipso actu partus aut asphyctica fleret aut moreretur; sectio caesarea illico suscipiatur, *o)* sed ante hanc sectionem versio tentanda est, *p)* determinatio autem num mater asphyctica vel mortua sit, vel num sectio caesarea necessaria sit, non obstetrici convenit sed physico, *q)* unus tamen casus excipitur; si nempe post laesionem letalem factam mors matris instaret, etiam Chirurgus simplex sectionem caesaream suscipere potest ad salvandam prolem.

Feliciter absoluto partu, curandum est: ut et mater puerpera et proles conserventur.

§. 5. Puerpera quippe ex partu multum patiebatur et corpore et animo; lochia se insinuant, lac uberius incipit secerni, partes genitales multum sunt adfectae, summa in puerpera adest debilitas, irritabilitas et sensibilitas. Causae hoc tempore maxime nocentes sunt: terror, timor, tristitia, ira, indignatio, aër corruptus, quietis denegatio, refrigerium, retentio excrementorum, denegata lactatio, excessus in esu et potu, secretionum normalium turbatio.

§. 6, Hac quippe causae producere possunt in puerpera cessationem lochiorum eorumque metastasim, febrim puer-

peralem, varios morbos convulsivos, inflammationes locales, abscessus, exulcerationes, ipsam mortem subitaneam vel mentis morbos et vesanias, chronicas adfectiones, miseram vitam, tabem,

§. 7. Ergo partim per informationem publicam, partim per leges curandum; *a)* ne tempore puerperii investigatio criminalis aut puerperae punitio locum habet, *b)* ne debita a creditoribus exigantur, *c)* maritus obligetur ad omne possibile obsequium praestandum *d)* a laboribus publicis praestandis dispensetur et puerpera et maritus, *e)* in vicinia strepitum magnum excitare vetitum est, *f)* convivia sic dicta baptismalia abrogentur, praesertim quia nunc magni conventus aërem cubili destruunt, clamores multos causant, puerperam seducunt ad diaetam laedendam, tali occasione puerpera excrementa rettinere solet, quia somnus puerperae necessarius, impeditur et puerpera curis repletur, *g)* Tali occasione explosiones sclopetariae interdicantur. *h)* Benedictio per sacerdotem in Ecclesia tempore aestivo non ante quartam, hyemali autem non ante sextam septimanam locum habeat. *i)* Puerperae si circunstantiae admittunt, lactationem prolis nulla ratione intermittant. *k)* Post puerperium vetetur, potiones purgantes puerperis exhibere. *l)* Superstitiosae actiones tali occasione ponere sub poena corporali interdictum est. *m)* Puerpera Informetur de diaeta consona observanda et de cura, quam in neonatum primis diebus impendere debet.

§. 8. Ut vero recta neonati cura habeatur: facienda sunt, quae bonum influxum habere possunt, et opposita vitanda sunt, scilicet *a)* illico, ubi partu emittitur proles, funiculus umbilicalis suo modo deligetur et abscindatur; *b)* dein investigetur proles, utrum vivat vel asphictica vel mortua sit, *c)* si asphictica esset, eius suscitatio omni modo tentetur, *d)* si viva est; illico imponatar in balneum saponatum moderate calidum, *e)* sub ipsa lotione corpus bene investigetur, utrum aliqua in corpore deformitas vel defectus adsit, *f)* si nihil observatum fuerit, infans eximatur e bal-

neo, siccetur et illico bene involutus uberibus matris admoveatur.

§. 9. Vitanda autem sunt circa neonatum. *a)* Balneum aut valde frigidum, aut valde calidum, *b)* nimia corporis frictio, *c)* absurda nonulla praejudicia, ut: lotio cum secundinis, expressio mammae, exsuctio funiculi umbilicalis *d)* declaratio deformitate corporis infantis, matri facienda non est, *e)* si caput neonati aliquomodo distorsum, compressum esset, deductio eius ad formam bonam mediante compressione non est admittenda, *f)* si frenulum lingvae esset aut lingvae adnexum, id ungvibus solvere interdictum est, *g*) syrupum purgantem exhibere neonato in plurimis casibus bonum est, *h)* febris sic dicta lactea non exspectetur, ut illa primum praesente infans uberibus admoveatur, *i*) cautum esto, ne occuli neonati solaribus radiis obvertantur, *k)* strenua neonati fasciatio reiicienda est, *l)* aestivo tempore valde attendatur ne per urentes solis radios insolatio fiat, *m*) stragulis neonatus ne opprimatur, *n*) mundities summa servetur, *o*) nutritio neonati parca sit et bene ordinata, *p*) circumcisio apud Hebraeos ab homine fiat, qui artem didicit, instrumentum autem circumcisionis acre et mundum sit. Sub ipsa operatione neonato bonus detur situs et Rabino interdictum sit rescissam mentulam exsugere.

§. 10. Quidquid de gravidis, parturientibus et puerperis in legitimo matrimonio dixi, id ipsum etiam procurandum est circa personas sexus sequioris, quae extra matrimonium utero concipiunt et pariunt, aequali quippe iure gaudent et eo magis reflexionem merentur, quod plerumque miseriores omnibus destituantur, animo plerumque infirmae sint, et ut istis dematur ansa et occosio saeviendi in foetum, quem utero gestarunt.

§. 11. Raro mulier est naturae tam degeneratae, ut absque causa in proprium saeviat sangvinem. Plerumque ergo plures causae sunt, quaem ipsum impellunt, ut abortum procuret, aborticidium comitat vel neonatum exponat aut eun-

dem plane trucidet. Sunt autem sequentes causae: *a*) remorsus pudicitiae, *b*) timor futurae ignominiae, *c*) Zelotypia et vindictae studium in seductorem, *d*) metus de impossibili futura existentia, *e*) commiseratio in prolem, *f*) timor ne a parentibus, cognatis, amicis, aliisque despiciatur, veretur, *g*) quod seductor fraudulenter eam derelinquerit, *h*) Lenarum et vetularum seductio, *i*) desperatio.

§. 12. Ne itaque extra statum matrimonialem praegnans, ullum habeat causam, tale scelus comittendi, *a*) omnes causae removeantur, quibus matrimonia difficilia redduntur, *b*) educatio tam privata quam publica; tum iuvenum tum et praecipue puellarum dirigatur in conservandam pudicitiam et castitatem, *c*) parentes, tutores et heri occasionem coëundi extra statum matrimonialem quantum fieri potest impediant; *d*) Respublica id conetur efficere, ut lenae et lupanaria auferantur, *e*) si tamen contingat, personam extra matrimonium gravidam fieri, ea omnimode protegatur, *f*) parentibus, tutoribus et heris interdictum sit, tales personas ignominiis afficere, crude tractare sed potius sint obligati ad succurrendum. *g*) Proles spuriae omnibus iuribus Civis gaudeant. *h*) Seductor adstringatur ad succurrendum, *i*) gravidae protegantur absque discrimine, *k*) ut partum absque sollicitudine edere possint, instituta publica erigantur, *l*) de prolibus spuriis per orphanotrophia prospiciatur, *m*) seductor qui praegnantem ad abortum procurandum incitaverit, criminaliter tractetur, *o*) fiant necessariae ordinationes, ne sic dicta pellentia ullo modo haberi possint. *p*) Populus informetur ut potius commiseratione quam indignatione ducatur erga tales miseras personas.

§. 13. Nullo modo autem tollerandum est ut *a*) ut seductis titulus virginum denegetur, *b*) ut cogantur peculiari vestitu incedere, *c*) ut publica desponsatione careant, *d*) ut proles illegitimae ab officiis, honoribus excludantur, *e*) minime vero licet praegnantem talem ex urbe, domo, et familia exterminare.

§. 14. Ut autem mater omni metu futurae sortis foetus enixi liberetur et de intertentionis curis vacua esse possit, institutum peculiare necussarium est, que non tantum gravidae et parturientes extra matrimonium, sed etiam honestiores legitimo matrimonio iunctae recipiantur, ut partum edere possint. Imo et graviter delinquentes in quo parere possint, institutum requiritur. Idem requiritur pro peregrinantibus personis sexus sequioris.

De prima educatione neonatorum.

§. 15. Observatis illis quae praemisi sperare licet sanae et robustae organisationis fundamenta esse posita. Curare nunc civitas debet ut perficiatur. Hoc optineri potest per educationem bonam, proin cura haberi debet, *a)* circa victum, *b)* circa aërem atmosphaericum; *c)* circa vestitum, *d)* mundiciem et excretiones, *e)* ocupationes, labores et lusus. *f)* Somnum *g)* motus anime, *h)* morbos infantum, *i)* omnia quae usque tempus educationis publicae noxium et salutarem effectum habere possunt in infantes.

§. 16. Nutrimentum saluberrimum infantis est lac maternum, quod iam sub graviditate secernitur, post partum vero maiori quantitate in uberibus adest. Sub initium lac magis serosum est, atque ideo ad exterminandum et purgandum mecconium optime confert. Non autem exspectandus est ingressus febris lacteae, sed infans statim quamprimum ablutus fuerit, uberibus matris admoveatur; quia si hoc negligitur infans prius deglutire quam sugere discit, et in uberibus matris tensio, dolor, et inflamatio augetur.

§. 17. Matres quae proles suas lactare possunt quin tamen faciant, et se et proles suas multis periculis exponunt. Quia *a)* praesentis lactis discussio non semper possibllis neque omni tempore svadenda est. *b)* Lac non discussum evasat, inflamationem, exulcerarationem, saepe indurationem scirrhum, cancrum uteri, *c)* exanthemata foeda exoriri poterunt, *d)* etiam articulorum dolores, *e)* nervorum

affectiones, *f)* metastases et abscessus, *g)* Dispnoea, *h)* vomiturifiones, vomitus, *i)* diarrhoea pertinaces, *k)* febris puerperalis, *l)* morbi uteri, *m)* fluor albus, *n)* febres hecticae, *o)* morbi mentis et animi, *p)* subitania mors.

§. 18. Sed proles etiam quae materno homogeneo liquore illo non aluntur; ali debent vel lacte nutricis vel lacte animalium. Ideo subeunt saepe magnas alterationes, nonnunquam enim nec nutricis nec animalium lac perferunt, sed vomitu vel diarrhoea vexantur continuo, vel spasmis convelluntur, vel impetiginibus et exanthematibus excruciantur vel in atrophiam incidunt, vel continuis usque ad mortem obruuntur morbis. Ideo experientia teste infantum eorum qui materno lacte non aluntur mortalitas maxima est.

§. 21. Sed plures sunt casus in quibus matres proles suas lactare non audent aut non possunt. Lactare non audent: *a)* Si nimium debiles sunt matres, *b)* Si haemoptysi, haematemesi aut febri depascente laborent, *c)* si scrophulosae sint, *d)* si luc syphilitica inficiantur, *e)* si gravibus nervorum morbis laborent, *f)* si alio quopiam contagioso morbo interno vel externo affectae sint, *g)* si gravi mammarum morbo laborent, *h)* aut morbos uteri, *i)* vel morbo mentis, *k)* vel si morbo aliquo haereditario afficiantur. Alii intercurrentes morbi prolibus haud nocent.

§. 22. Lactare infantes suos non possunt matres, *a)* si moriantur, *b)* si lac defuerit in uheribus, *c)* si lactis parum, parcius secernatur in uberibus, *d)* si officio, statu, conditione impediantur, quominus lactent, *e)* si matres itinera facere, aut integris diebus domo abesse cogantur.

§. 23. In his casibus proles nutriendae sunt lacte alterius mulieris nempe nutricis, quae sequentibus gaudeat dotibus: a) aetatis sit citra 18—30 annos, b) eius partus non multo distet a nativitate infantis lactandi, c) nullo vitio laboret sive somatico sive physico, d) mammae sint bene evolutae, rite praeparatae, e) lac secretum sit bonum, f) sit persona bene morata g) sit patiens atque amet proles h) mun-

ditiem diligat, i) sit informata de omnibus quae ad officium nutricis spectant.

§. 24. Diiudicare vero utrum nutrix has qualitates habeat, nec ne; praeter medicum nemo potest. Ideo circa nutrices fieri debent coordinationes politico-medicae, et quidem in magnis urbibus, pagis et institutis.

§. 25. In omni urbe maiori Institutum (Ammen-Comptoir) esse debet, sequentia modo ordinanda. a) Instituto praesit sub politica inspectione medicus litteratus, b) adiungatur ei obstetricator qui una sit chirurgus, c) quaelibet persona nutricem agere volens se coram his sistat. d) Protocollo, quod in hoc instituto asservatur circa personam omnia per investigationem inventa inscribantur, ut: nomen, aetas, conditio, corporis constitutio, sanitatis conditio, an vidua vel caelebs sit, quod fecerit iam partus et quando ultimum, an propria proles adhuc vivat an prius iam fuerit nutrix, si fuit testimonio comprobet. A parocho autem locali vel a iudice aut adminimum ab hospite domus habeat testimonium de indole et charactere morali — dein quae sit uberribus et lactis conditio? quas faciat quae nutrix circa primani infantum aeducationem scire debet. e) Taliter investigatur et pro habili inventae nutrici, testimonium habilitatis detur. f) Hoc testimonium per octo dies tantum valeat, quibus elapsis semet iterum sistat ut novum accipiat testimonium nutrix. g) Informetur populus ne nutricem suscipiat, quae simili testimonio destituitur. h) Si aliqua domina nutricem bonam habere cupit illa ipsa in instituto sibi talem exquirat. i) Praefectus instituti matrem circa omnes circumstantias eius perquirat et facta dein combinatione qualitatum bonarum matris cum qualitate nutricis in protocollo adnotata, matri in omnibus bonis analogam nutricem exquirat, et quam optimam commendet. k) Pro hoc labore taxa a nutrice exigua, a matribus, paulo major exigi potest. l) Sic dictae mulieres (Zubringerinen) inhibeantur a commendatione nutricum, m) nutricibus in hoc instituto commendatio succincta informatio de officiis nutricis scripto tenus exhibeatur. n) Nu-

trix tali beneficio abutens aut fraudem commitens e prudenti iudicis arbitrio puniatur.

§. 26. In minoribus urbibus ubi tale institutum deest, Physicus urbis et Obstetrix pro exigua taxa, nutrices visitare tenebuntur, de conditione earum testimonium praebere et de officiis eas informare. Nutrices vero tenentur omni octavo die se coram medico sistere, novumque expetere testimonium. Homines autem informentur de hoc circa nutrices coordinatione.

§. 27. Relate ad proles quas matres domi lactare non possunt aut pro quibus nutricem ob inopiam servare non possunt quas igitur ad pagos vel aliorsum pro nutritione mittunt, id ipsum observandum est, quod circa proles inventitios et orphanos valet.

§. 28. Prolibus inventitiis et orphanis optime prospicitur in instituto pro parturientibus, si tale existit. a) In tali nempe instituto omnis, quae partum gratis absolvit, per tres menses adhuc nutricem agere debet, proinde praeter propriam prolem, unam adhuc lactare tenetur. Prius tamen investigari debet an idest fructu praestare possit. b) In propriis autem ad id destinatis cubiculis non plures nutrices quam sex cum 12 prolibus serventur c) Personae quae non solvunt sed neque nutriendo pares sunt, servientium instar nutricibus adsistant. d) Summa autem in hoc instituto mundities servetur. e) Medicus instituti prolium et nutricum sanitati, Inspector domus aliis necessitatibus invigilet et satisfaciat. f) Si vero inter parturientes solventes talis esset, quae pro propria relicta sobole propriam servare vellet nutricem, Zostrum pro eadem solvendum cedat instituto. g) Quaelibet nutrix, dum ex instituto dimittitur remunerationem accipiat.

§. 29. Relate ad nutrices in pagis existentes peculiaris instructio elaboranda de cuius observatione et effectuatione parochus aut chirurgus loce responsabilis reddendas est. Nam *a*) parentes ipsi aut per incuriam aut per avaritiam proles negligere possunt, *b*) nutrices vero fraudes innumeras agere

possunt aut permutando, aut commutando proles aut defraudando matres.

§. 28. Instructio pro similibus nutricibus ita sit elaborata, *a*) tantum parentibus pauperibus liceat prolem ad similem nutricem dare. *b*) Zostrum nutrici pendendum anticipate omni mense solvatur. *c*) Nutrix illa in proxime vicino loco sit, ut ad minimum omni hebdomade parentes invisere possint proles suas. *d*) Quamprimum proles infirmatur, illico nutrix parentibus insinuet, hi autem de adferendo auxilio sint solliciti. *e*) Si ipsa nutrix morbo corriperetur, id matri illico insinuari debet, ut de alia nutrice prospicere possit. *f*) Nutrix inhibeatur ne praeter proprias proles plures quam unam suscipere possit, *g*) Nutrix prolem munde servare bene et ordinate alere, nunquam solitariam relinquere, eam aliis infantibus non concredere, neque noctu ad se ad lectum accipere debet. Omnem occasionem periculorum vitet, si vel minimum contingat, id parocho loci aut chirurgo aut iudici insinuare teneatur, *h*) Parochus loci autem invigilare debet ut et nutrices et matres officio suo satis faciant.

De prolium educatione in prima infantia.

A) Circa nutrimentum.

§. 31. Primum sit nutrimentum lac maternum, nutricis aut animalis et quidem primis octo diebus omni hora exhibeatur uncia una; dein primo mense omni hora uncia sesqui, altero mense omni bihorio unciae duae, post tertium mensem per diem exhibeatur lactis libra sesqui ad doses sex. Alia postmodum nutrimenta exhiberi poterunt. *b*) Ante lactationem mundari et mammae praeperari debent, dein post quamlibet lactationem mundari, secus ulcera mammarum generabuntur, tum matri, tum proli molesta, *c*) Post quamlibet lactationem, os infantis eluatur et quidem optime cum aqua saccharata. *d*) Mammae alternis vicibus una et alia exhibeantur. *e*) Mammae nimium calide non serventur, sed et

refrigeratio vitetur. *f*) Illico post lactationem infans ponatur ad quietem. *g*) Ordo in lactatione observetur, nec facile, ad summum semel, noctu praebeantur ubera. *h*) Non quoties plorat infans, toties ei exhibeantur ubera, aliae plerumque sunt causae ploratus, e. g, immundities, magnus calor, aut frigus, stricta fasciatio, insecta, aut dolores. *i*) Ubera matres non exhibeant illico post coitum, post vehementem commotionem, iram aut post pastum. *k*) Si infans lacte animali nutriendus esset, pro lactatione adhibeatur optimum nempe asininnm. *l*) Si hoc non posset haberi, ovile; caprinum autem pinquedinis gratia est pessimum. Sed circa lac vaccae observandum, ut quantum fieri potest, ab una semper vacca lac accipiatur neomulsum, ab animali sano et non illico post pastum. Sed lac semper decoquatur exhibeatur tepidum ad 25^{0} Fahr.; ne sit ambustum. *m*) Exhibeatur lac instrumento suctorio, lagenula cuius rostrum gummi elastico mundato obtectum sit, non sit instrumentum e metallo. *n*) Instrumentum post quamlibet lactationem abluatur. *o*) Elapsis 10 aut 14 diebus praeter lac etiam aliud nutrimentum et quidem primo mense per diem semel, dein bis, et certo ordine, non multum exhibeatur. *p*) Non exhibeatur puls, pasta ex farina, aqua et butyro, sed ex pane bis cocto cum lacte, recenter semper paretur. *q*) Post menses tres, puls lactea commutari potest cum iure carnium, cui pro re nata vitellum ovi, oryza aut levis massa incoquitur.

§. 32. Non indulgeatur ut prius nutrix cibos masticet, dein ori infantis inponat. *a*) Hac aetate vitanda adhuc sunt viridaria, et crassa farinacea, quia vel flatus, vel mucum crasum causant. *b*) Dentes protendi se inceperint, tenera caro exhiberi poterit. *c*) Dentium evolutio non est solicitanda per dentem lupinum aut radicem ireos florentinae, quia his modis gingivae inflamantur, nonnunquam indurantur. Si quid tale exhibendum est, accipiatur cortex laridi mundatus et coctus. Sed neque hoc bonum est propter sali-

vae deperditionem. *d*) Pro potu ordinario adhibeatur lac, dein aqua, sed cerevisia, vinum nonnisi ad indultum medici concedatur. *e*) Potus calidi, ut: coffea, chocolada, in genere omnia aromatica vitanda sunt, si exhibendum esset ientaculum, flores verbasci in infuso cum lacte adhibeantur. Excipe tamen coffeam e glandibus quercinis et iusculum cum floribus macis. *f*) Mixtus dein victus exhibeatur. Regula generalis est: *Infanti potius exhibere parca, quam larga manu victum.*

B) Quoad Habitationem.

§. 33. *a*) Cubiculum sit amplum, non prope culinam vel stabulum. *b*) Ut aër purus servetur, non multi homines in eodem cubiculo degant; excrementa infantum diu non relinquantur, vestes ibi non laventur neque siccentur, non permittantur ibi esse animalia quaecunque; cibi non asserventur ibi, nec flores, nec fructus; fenestrae et portae omni die bis aperiantur; a parasitis (nempe pediculis, culicibus, pulicibus) liberum servetur cubile, fumigationes fiant omni die cum aceto super ferro calido non candente, fuso.

C) Quoad Munditiem.

§. 34. *a*) Vestis infantis sit simplicissima. *b*) Primo anno nulla sint fasciationes. Sufficit indusium, a parte postica apertum et linteum in quo involvatur infans. Secundo anno pro vario anni tempore sit vestis ad formam a Faust propositam. *c*) Caput liberum, collum leviter tectum; pectus, ventriculus et abdomen magis tecta serventur. Si galigae adhibendae sunt, formentur ad formam turcicam, calcei non adhibeantur. Paludamentum infantibus concedi debet, qui tertium annum attigerunt, *d*) Vestimenta crebrius mutentur, bene laevigata et exsiccata adhibeantur, secus affrictum causant, impetiginibus ansam dant. *e*) Primis mensibus balneetur infans aqua tepida, dein autem post medium

annum ubluatur aqua temperate frigida; in secunda infantia balneetur aqua frigida ter per hebdomadam. *f*) Saepius inspiciendus est infans, utrum excrementa non deposuerit.

D) Relate ad corporis motum.

§. 35. Motus infantibus non minus quam adultis necessarius est. Est autem motus alter activus, alter passivus. Activum motum foetus iam in utero materno exercet, adeoque post nativitatem stringentibus fasciis et angusto vestitu non est impediendus. Ideo infans vel in lectulo vel in terra, centone obtectus, solutus omnibus constringentibus et cunctis semotis impedimentis reponatur, ut artus libere movere possit. *b*) Passivi motus species plures sunt, ut: portatio agitatio in cunis pensilibus aut fixis et motus in curribus. Cunae noxiae non sunt, si moderate agitentur; verum noxiae evadere possunt, si pleno ventre infans valde moveatur in cunis, si in gyrum circumagatur, si cunae nodos habeant, si per tangentem infans eiiciatur aut si cunae invertantur aut si fasciis iisdem valde constringantur. *c*) Motus in curriculis propter eversionem, insolationem nimiam in plateis nihili valet, in cubiculis concedi potest. *d*) Portatio in bracheis non fiat per infantes, quia infans portando facile gibbosus fit, hemopthysi corripi potest. Infans ab infante portatus, plerumque ad terram deponi et fato committi solet, aut ne infans ploret, varia et noxia esculenta exhibentur, vel infantes verberantur, ut silentium observent. *e*) Malum est infantes elevare per aures, per unum brachium, per vestes, ligulas; malum est eos rotare in gyrum, aut pedi uni inponere. Plurima exinde vitia infantis exoriri possunt. *f*) Proles non cogatur ad insistendum pedibus aut ad ambulandum, antequam artus debitum robur nacti fuerint; alias enim sequerentur incurvatio pedum, lordosis, vitia pectoris, abdominis, capitis. *g*) Ideo non sunt bonae ligulae ambulatoriae, corbes, sellae et curriculi ambulatorii, quia causant luxationes, debilitatem ligamentorum, morbos

pectoris, hernias, vitia digestionis. *k)* Naturae comittatur negotium, ut infans stare et ambulare discat. Hoc autem infra brevissimum tempus cum robore extremitatum et cum bona corporis forma discet infans, si ad terram centone obtectam, semotis omnibus quae impedimento esse possent, deponatur. *i)* Vehemens cum infantibus equitatio, currulisatio, saltatio noxia est, inflamationibus intestinorum, viscerum, et nevrosibus ansam praebet.

E) Relate ad occupationes.

§. 36. Occupationes infantum aliae in scopum utilem, aliae ad exhilerationem suscipiuntur. His occupationibus recta directio est danda: *a)* Quamprimum motus firmiores fiunt, etiam aliae corporis et mentis facultates evolvi incipiunt. Peculiari instinctu autem impelluntur infantes ad exercitium facultatum corporis et mentis. Itaque *b)* prospiciatur ut per corporis et mentis exercitium hae facultates exerceantur; et ut inde fors noxia resultantia vitentur. *c)* Lusus, in quibus infantes diu stare, sedere, unt corpori coactivum situm dare, nempe corpore antrorsum aut postrorsum inclinato coguntur, nocent; causant enim congestiones, luxationes, pectoris et abdominis passionem, vomitum, neoroses et alia vitia. *d)* Crepundie peculiarem attentionem merentur propter materiale, colorem, formam et usum, unde multa vitia ortum ducere possunt. Non consistant metalis venenatis, vitro; non sint tincta colore venenato, nec talem habeant formam, ut aut pondere, acie, aut alio modo corpus laedere possint, nec usus eorum functiones corporis et animi impediat, vires nimium adstringat, sensus obtundat aut interna organa afficiat. *e) Colores* quibus crepundia teguntur noxii sunt: *color ulbus* ex calce plumbi; *color flavus* ex calce arsenici, auripigmento, gummigutta; *color viridis* ex calce cupri; *color coeruleus* aeque ex calce cupri; *color ruber* ex cinnabari et minio. Innocentes colores, quibus crepundia teguntur essent; *color albus* ex cretae prae-

peratis, gypso aqua exstincta; *color flavus* e radice curcumae; *color viridis* ex succo herbarum recenti, *color coeruelus* ex lacmo, coeruleс Berolinensi, aut indigo, rite praeperato, *color ruber* ex coccinella aut ligno brasiliensi. *f*) Instrumenta flatitia non sunt toleranda. *g)* Neque instrumenta iaculatoria et laesiva, *h)* neque equi magni propter hernias. *i*) Nec tympana, *k*) Cum nitio secundi anni facultas loquendi se evoluit, cavendum tunc imprimis est, ut rerum nomina vere et rite pronuntiare discant infantes ne bis loquire discere cogantur. *l*) Memoria inter mentis facultates se prima evolvit. Addiscat infans res primo necessarias. Informatio stricte talis ante annum sextum non habeat locum. *m*) Animi cultura statim ab initio sollicitanda, excitando in infantibus confidentiam, obedientiam, amorem erga omnes, humanitatem in loquendo et agendo, studium serviendi aliis, misericordiam erga homines et animalia, observantiam decori, aestimationem religionis; levissimus nisus ad iram, odium, invidiam, dominandi cupiditatem, supprimatur, ne radicetur et in dies crescat. Sciendum quod verbis parum; exemplis plurimum efficiatur. *n*) Ad exstimulandas proles proemia necessaria sunt, sed non bellaria aut signa ridicula; verum collaudatis, praemia utilia, instructiva. Poenae quoque irrogandae sunt, quotiescunque ex malevolentia infans peccat. Poenae quoque sint aetati, genio', vitio comisso proportionata, moderata, iuncta cum defectus expositione et admonitione. *o*) Experientia docet, quod parentum et educatorum exempla mala aut bona noxium aut bonum babeant influxum in teneras proles.

F) Relate ad somnum.

§. 37. Reponatur infans loco quieto, tenebricoso, moderate calido, non alto loco, non tegatur valde, ordini asvefaciendus est, reponatur pro capiendo somno quamprimum nisus adest. iuvitus ad somnum non stringatur, somnus non

provocetur frictione fonticulorum, natium genitalium, vehementi commotione corporis, continuo cantu, minis et terrefactione, aut opiatis. Infans repente non excitetur strepitu magno, reliqua autem somni impedimenta. (e. g. insecta) removeantur.

G) Relate ad morbos.

§. 38. Morbi plurimi oriuntur, si praemissa non fuerint observata. Felicius praecaveri possunt morbi infantum, quam curari; quia parentes originem non observant, medicum tarde advocant, eidem non omnia revelant et ideo medicus causas haut rite noscit. Medicamenta praescripta infantibus non exhibentur ordinate, et errores diaetetici circa infantes plurimi comittuntur.

THESES.

1. Nutritio neonati parca et bene ordinata plus valet quam multa et inordinata.
2. Aër athmosphoericus est corpus agregatum, et non mixtum chemicum.
3. Amyelus momentum partus supervivere nequit.
4. Anencephalus vero paucas tamen horas vitam ducere valet.
5. Non mera sed reppentina frigoris aplicatio est remedium efficacissimum respirationem excitans.
6. Balbuties similitudinem magnam cum Chorea S. V. habet.
7. Strenua fasciatio neonati reiicienda est.
8. Nutrimentum optimum infantis, est lac maternum.
9. Omnes partes organismi vivunt, igitur omnes morborum capaces sunt.
10. In febribus ante dies criticos prognosis incerta.
11. Metrorrhagia vetularum, pro diverso charactere dynamico diversam requirit therapiam.
12. Non raro nevroses gravioribus etiam symptomatibus stipatae per solam autocratiam naturae sanantur.